

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Mundatio aceti acerrimi

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

Mundatio Cuperose.

Cuperosa sive vitriolum mundatur ut atramentum nigrum. Habet tamen atramentum nigrum majorem atramento viridi terreitatem.

Mundatio aliorum atramentorum.

Diversa adhuc inveniuntur atramenta; quæ ut prædicta mundantur.

De Vitro & Boracibus.

Vitrum & Boracia, si debito modo fuerint tractata, non indigent præparatione.

Mundatio aceti acerrimi.

Aceta autem cujuscunque generis sint seu acerba subtiliantur, & depurantur: & illorum virtus, sive effectus per distillationem melioratur. De horum mundatione & depuratione sufficienter tractavimus: cum quibus corpora imperfecta præparari possunt, & meliorari, & subtiliari, igne semper debito mediante. Præparantur autem corpora imperfecta, & depurantur per istorum adjutorium & ignis, per hunc modum. Habent enim hæc corpora imperfecta humiditates superfluas, & sulphureitatem adustibilem, nigredinem in ipsis generantem ipsa corrumpentem. Et habent terreitatem immundam fetulentam & combustibilem, & nimis grossam, ingressionem impe-

impedientem & fusionem. Ista & talia sunt
superflua in corporibus istis prædictis ;
quæ in ipsis nostra experiëntiâ & investi-
gatione certa & ingeniosa sunt inventa. Et
quia hæc superflua accidentaliter his su-
perveniunt , & non radicaliter , expoliatio
accidentalium possibilis est. Et oportet
cum igne artificiali & his prædictis mun-
datis superflua demere , & accidentalia re-
movere , relicta substantia argenti vivi &
sulphuris radicalis permanente. Et hæc est
integra præparatio imperfectorum & de-
puratio perfecta. Melioratio, depuratio, &
sublimatio , & subtiliatio horum vel hujus
substantiæ remanentis. Et hæc fit multis
modis, secundum quod indiget elixir præ-
paratione. Ergo & depurationis in generali
modus hic est. Primo delenda est cum igne
proportionali tota humiditas superflua &
corrumpens substantialia: etiâq; superfluitas
subtilis & comburens : & hoc calcinando.
Deinde totalis substantia remanens corpo-
rum in illorum calce, scilicet superflua hu-
miditas sulphuris comburentis, & nigredi-
nis corrodenda est & delenda , cû his mun-
datis prædictis corrosivis acutis vel acerbis ;
donec totaliter fuerint alba sive rubea , se-
cundum corporis materiam colorata, mun-
da, pura , ab omni superfluitate seu corru-
ptione prænarata: Et hæc cû his corrosivis
mundatis temptando , terendo , & imbi-

bendo, & lavando. Postea vero delenda seu deponenda est totaliter terrestreitas immunda, foetulens, combustibilis & grossa; cum rebus prædictis mundatis vel puris fusionem metallicam non habentibus, cum calce, prædicto modo depurata commixtis, & bene tritis, quæ in fusione, seu calcis reductione, retinebunt secum terrestitatem grossam & immundam prædictam, remanente corpore puro ex omni superfluitate corrumpente mundato: Et hoc per botum barbatum descendendo. Meliorationis vel subtiliationis horum substantiæ puræ in generali, inodus hic est. Primo hæc corpora purgata, & ut dictum est reducta, tunc iterum calcinantur cum igne & cum adjutoris mundativis prædictis. Deinde cum his quæ sunt solutiva solvantur. Hæc enim aqua lapis noster est, & argentum vivum de argento vivo, & sulphur de sulphure, & corpus spirituale factum & subtiliatum, sive attenuatum: quæ meliorari potest confortando ipsas virtutes elementares cum aliis præparatis, quæ sunt ex progenie sui generis. Et augmentando colorem, fixationem, pondus, puritatem, fusionem & alia omnia quæ pertinent ad elixir perfectum. Et iste est modus per nos solos investigatus, præparationis, depurationis, subtiliationis, & meliorationis corporum mineralium in generali. Nunc transeamus ad
specia-

specialem seu particularem cujuslibet corporis imperfecti præparationem, cum omnibus suis causis : etiamque perfecti corporis mineralis, & primo de Jove.

Præparatio Iovis in speciali.

PRæparatur Jupiter multipliciter, melius tamen per hunc modum. Ponatur in furno calcinationis in vase ad hoc apto, & fiat ignis subtus usque ad ipsius corporis fusionem. Movendo tunc ipsum corpus liquefactum spatula ferrea perforata & scoriam quam super ipsum causaverit extrahendo, & movendo in ignis calore æque perdurante, donec in superficie bona quantitas ipsius pulveris congregata. Deponatur tunc illa, & iterum moveatur, quousque alternata vice per frequentem illius motionem, seu scoriam abtractionem bonam quantitatem congregaverit ut prius; quod iterum inde deponatur: Et sic vice post vicem, donec totum corpus in pulverem subtilissimum reducatur. Cribretur ergo pulvis ille, & reponatur ad furnum, reddendo sibi ignem bonum; fusionem tamen non superantem, & multotiens movendo. Stet ergo in igne suæ calcinationis sic per diem naturalem, vel donec circiter tota humiditas accidentalis & superfluitas fuerit delicta, cum sulphure combustibili cor-